



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

De Guilelmo Erilio Equite, fundatore Militum Ordinis de Montesia. cap.  
LXXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

## De Gulielmo Erilio Equite Fundatore Militum, Ordinis de Montefia. Cap. LXXXVIII.



ANNO Domini, millesimo trecentesimo decimosep-  
 timo, ex bonis quæ Templarij Milites in Valenti-  
 no tractu obtinere soliti erant, noua Militia exor-  
 ta, Calatrauæ quidem subiecta, proprio tamen Ma-  
 gistro, Gulielmo Erilio Ordinis auctore. Huius  
 prototypus est, qui cucullo amictus, & Cruce pla-  
 na & simplici ad pectus ornatus, quarto loco inter Stellaros Mili-  
 tes stare cernitur. Vestis candida, Cruce rubra & plana insignita.  
 Regula S. P. Benedicti addita, Cisterciensium instituto legibusque  
 viuere mandatum est. Præcipua sedes Montefia, vnde Militiæ nom-  
 en: tenuis census, virtus bellica aduersus Mauros qui Valentina  
 littora infesta reddebant, cæteris non inferior. Ordinem probauit  
 Ioannes Papa XXII.

## ANNOTATIO.

Errant Volaterranus, Bugianus, Morigia, & alij eorum sequaces, qui  
 Ordinis huius fundationem, ad Iacobi II. Fortunati Aragoniæ Regis  
 tempora referunt, cum consequenti Iacobo I. Rege primi ex filio nepote,  
 Ordinis fautore, regnante, anno quo prædiximus noscatur institutus: ut  
 egregiè prodiderunt cum nonnulli Hispanici Scriptores, tum maxime  
 Gonsalvus Argotes de Molina, lib. 1. c. 3. 2. partis 1. de nobilitate Hispani-  
 e, & R. P. Ioannes Mariana in hist. Hisp. lib. 15. c. 18. ad annum 1317.  
 Errorem peperit Iacobi equiuocum nomen, & quod secundo debebatur  
 primo, sed malè, attributum. Vt tamen omnia fiant manifesta, verba Do-  
 mini Gonsalvi de Illescas hic apponam, qui in historia sua Pontificali, lib. 2.  
 c. 2. in vita Ioannis Papæ XXII. sic de fundatione huius Ordinis loquitur:  
 En el tercero año de su Pontificado à requisicion del Rey Don  
 Iayme de Aragon el II. instituyo el Papa Iuan, la Orden de caual-  
 leria que se llama de Montefa, &c. Prositebantur olim omnes casti-  
 tatem, primusq; qui illam infregit fuit Casar Borgias Magister Ordinis  
 (vt intellexi) decimus uel vndecimus. In vexillis militaribus vtuntur  
 Crucibus viridis & nigri coloris: sed in pectore habitu & scutis Crucem  
 Rubram gerunt.